

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
EXHIBENS
GENERALIA QUAEDAM
DE
EXSTIRPATIONE OSSIUM EORUM-
QUE PARTIUM

QUAM
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDO
DIE V. IDUUM JUNII MDCCXIX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
JOS. GODOFR. ADOLPH. WACHTER,
MORAVUS BRUNENSIS.



.....
DORPATI LIVONORUM
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.
MDCCXIX.

Imprimatur,

**ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit autequam
distribuatur, septem exemplaria administrationi Universitatis,
cui censura librorum mandata est, tradaptur.**

**Dr. Joannes Christianus Moier,
Censor.**

D 17-400

A. B. L.

In idoneam dissertationi elaborandae inquirens materiam, in hanc denique incidi, a veteribus pariter ac recentioribus artis nostrae peritis quantumvis pertractatam, lucidiori tamen, meo quidem arbitratu, explanationi vel idcirco dignissimam, quod haud infrequens sit iste, quem spectat, affectus, utpote cuius in praxi medica observandi curandique mihi oblata suisset occasio, ac meae ipsius, quae desint, experientiae, ex aliorum curis ac studiis repetere iisque veluti compensare mihi licuerit. Illum igitur diligentius examinare atque exponere visum est.

In re abstrusa opacisque adhuc obnoxia tenebris equidem si hallucinor, B. L. ut

aequius, ita et benevolus mihi et judex esto,
et amicus indultor blandusque interpres.
Nam vere ut dicam, postquam vasto huic
pelago me commiseram, id ipsum mihi ac-
cidit, quod in tanta rerum multitudine so-
let, ut nil nisi Pontus et aether, non Pharus,
non portus appareret. Sin autem reperi-
ris, quae in summi Numinis Gloriam et Pro-
ximi, ut cuius salus suprema nostri ordinis
lex esse debeat, commodum cedere posse
credideris, tibi mihiique ex animo gratulor.

P r o o e m i u m.

Anatomia de organorum numero, magnitudine, conformatione, proportione, situ, nexu, continuitate et contiguitate tractans, simul et ex defunctorum corporibus docet, quae prodesse potuerint viventibus. Qua quidem arte potissimum effectum est, ut ad cognitionem morborum sensim sensimque devenirent medici, in spem haud inanem adducti, fore, ut ad perfectam, demonstratio anatomica quam fuggerit, cognitionem aliquando adspirent, dummodo nullam cadaverum ex hominibus, morbis singularibus defunctis, perlustrandorum opportunitatem neglexerint.

Quanta quidem, obsecro, si ad ossium morbos animum adverteris, post fata ho-

minis, circa istos morbos jamjam explana-
vit atque enucleavit anatome, ossium sive
morbis destructorum, sive alia quacunque
ratione immutatorum formas studiosime
nobis exhibens, earumque causas, in quan-
tum possibile, subministrans.

Quantum praeterea lucis et emolu-
menti, in indagandis medendis etiam son-
ticis periculosissimisque morbis, tum status
gradusque normalis singularum actionum,
tam modi, quo quaelibet exercetur, et con-
ditionum ac virium, quibus instructum in
suis partibus corpus, ad eas perficiendas
concurrit, exacta notitia arti salutari attu-
kerit, constat inter omnes.

Quavis quidem aetate florebant medi-
ci, fama atque eruditione nobiles, qui stu-
dio indefesso, in communia mortalium
commoda collato, aberrationes a statu nor-
malis scrutarentur, et quaecunque ipsis hac
in re se obtulerint, ut singulari fide ac sol-
lertia, ita nec minori eruditione ingeniique
acuminis, tradenda posteris curarent.

Quibus quidem eruditorum medicorum

studiis, in rebus ad ossium morbos, tum theoretico, tum practico respectu, pertinentibus, ad insignem sensim sensimque adspirabant solidioris cognitionis majorisque horum morborum perspiciendorum curandorumque dexteritatis gradum. Innotuit autem, jam inde a priscis et remotissimis temporibus, ipsis jam primaevis medicis, constatque inter hodiernos, quot et quanta in tanta naturae virtutis vitalis ignorantia adhucdum restent praestanda, quantisque obnoxia sint obstaculis, cum suam collineare metam, aut finem sibi praefixum consequi non semper contingat medico, multisque obstaculis saepicule impedito, multisque haud sine eximio et ipsius nostrae artis et aegrotorum detimento, difficultibus adflicto.

Id equidem adserere non ausim, singulos morbos ossa infestantes, tolli omnino e medio posse artis medicae beneficio, cum experientia et ipsa tum theoria, tum praxis medica utique evincant contrarium. Singulis hominibus, cujuscumque fuerint aetatis,

sexus, climatis etc. multiplicèm insidere proruitatem ad morbos, nemo quidem est, qui nesciat, et artem medicam qui excercent, optime norunt, tum hominem ipsum corruptionis semina in ipsa sui corporis mixtione secum veluti portare, causamque mortis in suo ipsius sinu fovere, tum ab externis naturae rebus innumeris in eum confluere causas, quibus diversissimi evolvantur morbi,

Cum omnis medicinae cardo praesertim vertatur in distincta et adcurata causae morbi cognitione, adeoque convenienter summoque cum judicio ac prudentia formandis indicationibus, eligendisque auxiliis; cum praeterea, nisi solius curationis, sed prognoseos etiam rite formandae, vel et symptomatum mitigandorum rationem habere velis, cognitio morbi sit utique necessaria, medicoque in morbis desperatis omninoque insanabilibus mirum in modum profutura: eodem ordine, in dissertationis meae materia pertractanda, quo-

ad ejus, per finem mihi propositum, fieri potuerit, procedam.

Pars physiologica.

Ossa durissima organismi humani organa, e cartilaginibus oriunda, a quorum figura automatis humani forma maxima ex parte dependet, non tantum respectu conformatio[n]is, sed etiam respectu materiae hujusque partium constituentium mutuae relationis et proportionis continuis mutationibus sunt obnoxia.

Natura ipsa continuae regeneracionis ope, compositionibus et decompositonibus materiae organicae perpetuis, primaevam ossium mollitudinem densando corroborandoque paulatim plenam mediae aetatis firmitatem singulis inducit, eodem opere, per omnem vitam, continuato, nimia tandem compactione nimium roboris excessum i.e. rigiditatem, non potest non inferre, id quod senilis aetatis est inevitabile fatum.

Qua quidem immutatione simul tum cohaesio materiae osseae, firmitas, continuitas et aptitudo ad reliquias dotes mechanicas recipiendas, tum magnitudo et proportio ossium simul variantur.

Pars pathologica et therapeutica.

Sicuti singulis partibus organismi, ita et ossibus ea ex aeterna lege obtigit conditio, ut integritas eorum a mutuo solidorum et fluidorum subsidiō pendeat; ut enim solidia fluidis conservationem et augmentum, ita fluida solidis sui elaborationem et qualitates debent; ut igitur inter affectiones solidorum et fluidorum intercedit nexus indissolubilis, ita utraeque per utrasque nascentur, vigent et declinant.

His conditionibus et mutationibus existentiae organicae seminia morbosa cum proclivitate ad morbos nituntur, alia in ipsis natalibus jam connata, alia post demum ex affectionibus accidentalibus contracta,

quibus positis et accedentibus causis occa-
sionalibus pro diversitate individualitatis
diversi proveniunt status pathologici.

Diversa ac fere innumerā mala ossium
inde oriunda rite dijudicaturus, cogitet,
quam ampla sit sanitatis latitudo, dimensio-
nis limites non in omnibus ac singulis esse
strictē eosdem, quin multiplex varietas, sa-
nitate illibata feratur. Praeterea memine-
ris, non omnia, quae hic occurrant, vitia,
licet a naturae modo recedere videantur,
functionibus ita officere, ut morbis adnu-
merari mereantur.

Affectiones, e quibus morbi ossium di-
versissimi prodeuant, commémorari me-
rentur:

a) vitia et destructiones eorum organo-
rum, quorum functionibus normaliter
vigentibus pariter et conditiones exi-
stentiae organicae integritasque ossium
ponuntur, unde genesis perpetuaque
eorum régeneratio pendent. Huc re-
ferri merentur: periostii status patho-
logici singuli et destructiones, uti in-

flammatio; exulceratio, gangraena, tophi, gummata. osteosteatomata¹⁾ etc., vasorum et nutrientium²⁾ et resorben-
tium³⁾ disharmonia circa functiones, alienationes morbosae diploae, medullaeque⁴⁾ declinationes a statu nor-
mali.

b) Aliud genus earum sunt vitia mani-
festa sive totum organismum, sive ejus
systemata singulatim infestantia, quae
prouti morbus comparet et effectibus
suis se declarat, ita vel sponte morbo
ingravescente, vel aliarum potestatum
concursu morbis ossium consociari que-
unt ossaque devastant: potentiae viru-
lentes, miasmata, contagia, noxae epi-
demicae⁵⁾, metastases⁶⁾ omnesque po-

- 1) F. G. Voigtel's Handb. d. pathol. Anat., mit Zusätzen von Meckel. Hallae 1804. 1. Bd. p. 124 et seq.
- 2) Ant. Portal's Beobacht. über d. Natur u. Beschaffenheit d. Rachitis. Weissenfels 1798.
- 3) Soemmering de morbis vasorum resorbentium corp. h. Traj. ad M. 1795.
- 4) G. Chr. Conradi's Handbuch der pathol. Anat. Hannover 1796. p. 19.
- 5) Oloff Dissert. de Scorbuto et necrosi. Lembergæ 1797.
- 6) Brandis Versuche über die Metastasen. p. 149.

tentiae nocentes, ipsum vitale principium invadentes, irritatione violenta functiones infirmantes, succorum crassis motumque perturbantes, multiplici labe per homines grassantes. Hic prima loca occupant scrophulae, scrobutus, lues venera, arthritis, variolae aliquæ morbi quam plurimi.

- c) Quaecunque violento impetu acta extrinsecus in corpus incursant, hujusque motui rudius resistunt, actione mechanica cohaesionem, situm, nexum ossium turbando, texturam et structuram eorum pervertendo, morbos instrumentarios procreare valent.
- d) Aliena corpora in organismum delata, heterogenisataeve organismi partes, quae continuitate ossium sublata, reunionem a natura inducendam non tantum impediunt, sed etiam decursum morbi turbant morbumque adaugent: uti globuli sclopetarii, fragmenta osseum, coagula etc. etc.
- e) Status pathologici partium, quae ad

articulum formandum tenendumque⁷⁾
inserviunt: utiligamentorum, tenditum,
cartilaginum, glandularum, indeque
d  pendentes synoviae accumulationes,
defectus et indolis vitia⁸⁾, alieni humo-
res in articulos effusi, ulcera, abscessus,
tumores, fungi, concretiones etc.

f) Partium ossibus adjacentium a statu
normali deflexiones: suppuratio, exul-
ceratio, sphacelus, gangraena, scir-
rhus, tumores alii, fungi⁹⁾, aneurysma-
ta¹⁰⁾, tinea capitis¹¹⁾, plica poloni-
ca¹²⁾ etc. etc.

g) Pravum aegroti regimen, incongrua
perversaque medicatio, quae morbi
decursum turbant, abrumpunt, alienant,
obscurant.

7) Ueber die Krankh. des Kniegelenks, von J. Russel, a. d.
Engl. von Goldhagen. Hallae 1817.

8) B  ttcher von den Krankheiten d. Knochen etc. K  nigs-
berg und Leipzig 1796. 1. Bd. S. 37 et sequent.

9) Sandifort's Exercitationes academicae. V. II. p. 1.

10) Morgagni de sedibus et causis morborum. Epist. XVI.
XVII. XVIII

11) Museum der Heilkunde etc. etc. Z  rich 1792. Bd. 1.
S. 107.

12) De la Fontaine med. chir. Abhandl. p. 17 et 90.

His causis tum deformitates ¹³⁾ inducuntur, tum nutritio ¹⁴⁾, partium ossa constituentium relatio et proportio vitiantur ¹⁵⁾, tum materiae osseae partes constitutivae, quoad qualitatem, vel aliena materia inquinatae ¹⁶⁾ a statu normali deflectuntur; passim et inflammatio, ejus exitus, continuitatis solutio, situs nexusque abnormis observantur.

In universum dijudicandos dixeris osium morbos, ex illorum partiumque vicinarum textura et structura organica magis minusque immutatis, ex magnitudinis, proportionis, nexus, situs a statu normali deflexionibus, signis characteristicis inflammationis, suppurationis, scirrhi, cariei etc., ex laesis functionibus, motu animali vel impedito, vel neglecto ¹⁷⁾, vel justo vehemen-

13) Paletta Adversaria chirurgica. Mediolani 1790.

14) Girtanner's Abhandl. über die Krankheiten der Kinder. Berlin 1794. S. 44 et aliis

15) Pott in Philos Transact. 1753. N. 459.

16) Pearson in medical Communications. Vol. II.

17) Köhler's Beschreibung der Loderschen Präparate. S. 15. N. 59.

tiori¹⁸⁾, ex antecedentibus potentiss mecha-
nicis¹⁹⁾, e connata haereditariaque late,
aetate, sexu, vivendi ratione, rebus
externis, ingestis²⁰⁾, e morbis sive su-
peratis, sive concomitantibus, medelis ad-
hibitis etc.

Ardua tamen res est in tanta morbo-
rum farragine, tamque arcto eorum nexu,
ordinem invenire, qui justae methodi legi-
bus ex amussi respondeat. Cum morbi os-
sium, tametsi videri possint, nequaquam
semper easdem prae se ferant simplicitates,
ut pro diversis suis differentiis commode
semper explicari atque intelligi queant;
cumque multiplex individualitas, morbus-
que necessario pro diversitate suae causae,
sedis, gradus, durationis et effectus diffe-
rens, suaque acquirens incrementa, ex aliis
in alias partes et facultates transmigret; in-

18) Desports Histoire des Maladies de St. Domingue. II.
p. 171,

19) Böttcher von den Krankheiten der Knochen etc. etc. Kö-
nigsberg und Leipzig 1796. 1. Bd.

20) Acta Hafn. T. II. Obs. 43. III. 24.

finitus possibilium combinationum numerus obstet, diversae metastases²¹⁾ locum habere possint; ex aliis in alia organa provolvantur turbae, ac consensiones ciantur, horumque effectus huc illuc redundant, ut magis optanda fuerit, quam speranda, plena istius doctrinae perfectio.

Quae de materia ossea, illius partium constituentium morbose mutata relatione et proportione, harumque per qualitatem vitiosa indole notatu digna enarrantur: ut in ossibus eorum, qui rachitide laborant, praedominare partem cartilagineam, eorum, qui arthritide, calcem phosphoricam, in iis, qui cretinismo, materiam osseam esse inquinatam terra calcarea et acido vegetabili non assimilato²²⁾, de resolutione materiae osseae in massam gelatinosam²³⁾, de mutatione ejus in massam pastaceam²⁴⁾, in for-

21) N. Riche Casus criseos metast. in tumore tibiae et carie ossis. Argent. 1758.

22) J. F. Ackermann's Abhandlung über die Cretinen auf den Alpen. Gotha 1790.

23) Chambon de Montaux Merkwürd. Krankg. u. Leichenöffn. Leipzig 1791. T. VI. N. 216.

24) Journal de Médecine. T. LI. p. 131.

mam stalactitis²⁵⁾ et alia, quae experientia docet et casta chemia demonstrat; neque classificationi morborum ossium construendae sufficiunt, neque tam insignis semper sunt utilitatis et fructus; quia in tanta naturae vitalis virtutis ignoratione tam magna obluctentur dubia conclusioni, ad fontes detegendos unde haec promanant vitia, ulteriori forte inquisitione atque investigatione removenda atque exterminanda.

Inter morbos ossium enumerantur a Scriptoribus: Pedarthrocace, Cyphosis Potti, Exostosis maligna, Hydrosteon²⁶⁾, Inflammatio, Caries, Necrosis, Osteosarcosis, Hyperostosis, Spina ventosa, Coxalgia, Rachitis, Osteomalacia, Cyphosis, Lordosis, Scoliosis, Exostosis benigna, Fractura, Fissura, Depressio, Contusio, Vulneratio ossium, Epiphysium a Diaphysibus secessus, Luxatio, Diastasis, Anchylosis, Talipedes²⁷⁾,

25) Ibidem. T. LI. p. 63.

26) Assalini Versuche über die Krankheiten des lymphat. Systems. Dresden 1792. S. 32.

27) Wentzel Dissert. de Talipedibus variis. Tubing. 1798.

Palatum divisum aliaeque deformitates
organismo nocivae.²⁸⁾

Huc referri pariter merentur status pa-
thologici ossium, qui sequuntur:

1) per infiltrationem et extravasationem²⁹⁾
materiae, sive fluidae, sive solidae par-
tibus ossium morbosum in modum in-
pactae, qui oriuntur, quorum nobis
exempla enarrant Palleta³⁰⁾, Le Dran³¹⁾
aliique.

2) Qui vitiata nutritione et materiae os-
sium deflectente indole ex atrophias
sunt oriundi eisque associantur: nimia
Flexibilitas, Incurvatio, Rigiditas ni-
mia, Frangibilitas vitrea et spongiosa,
Consumptio, Resorptio, Diminutio, Exte-
nuatio ossium³²⁾, praeterea qui Hy-

28) Baldinger's Neues Magazin. Bd. VI. S. 73 et seq.

29) S. Pallas praktische Anleitung die Knochenkr. zu heilen.
Berlin 1770. §. 202.

30) Paletta anat. pathol. Beobachtungen etc. Tübingen 1794.

31) Le Dran Observat. de Chirurg. etc. Paris 1731. V. II.
n. 104 et a.

32) Chr. L. Hoffmann vom Scharbock, von der Lustaeuche
u. s. w. Münster 1782.

drorachitidem, Cretinismum et alios
morbos concomitant.

3) Qui amputationem, luxationem, trepanationem et fracturam nonnunquam subsequuntur, uti Articuli spurii, Calli Deformitates aliique quorum mentionem faciunt Walter³³⁾, Koehler³⁴⁾, Calisen³⁵⁾ et alii.

Magnae praeterea utilitatis in praxi medica divisio haec est, si perpendas, utrum morbus osseus sit universalis, totum sistema osseum afficiens; an localis, ab affectione locali proveniens; sit ne morbus primarius, an secundarius, aut coëxistens; utrum a labe totum organismum devastante proveniens morbus, sit sympatheticus, symptomaticus; an a mera affectione ossium proficisciens morbus idiopathicus, et causarum denique complicationum et compositionum ratione habita, morbus ossium utrum sim-

33) Walter's Museum anatomicum. B. II, N. 435 etc.

34) Köhlers Beschreibung der Loderschen Präparate. S. 88.
N. 96 et alii.

35) Henr. Calisen Systema chirurg. hodiern. p. II. p. 739
et seq.

plex sit, an compositus, vel complicatus, venereus, scrophulosus, arthriticus, rheumaticus, scorbuticus etc.

Patet, quam necessarium sit, historias singulorum morborum ossium integras ex dlenis atque intaminatis Practicorum observationibus accurate concinnatas ante oculos habere; patet, inquam, quantum intersit medici, has affectiones rite curaturi, primam causarum originem, sedem, propriamque naturam diligenter investigare, cum morbus nequaquam plene tollatur, nisi sublata universa complexione conditionum, quibus ipse fovetur, id, quod in morbis admodum complicatis atque inveteratis rarissime simul licet obtineri. Aliarum igitur post alias curatio suscipienda, ut minutatim profligetur, quod uno impetu fieri nequit.

Hinc eluent varii eventus morborum modi, medicoque tunc licet praesagire, an morbus sanari possit, nec ne? utrum in totum, an ex parte; utrum vigore naturae, an artis auxilio; vel alio morbo mitiori regenito aut in istius locum succedente?

Haec omnia eluent e necessaria cognitione statu normalis et pathologici, ambo rumque recta comparatione i. e. e gradus sedisque abnormitatis notione, per pensatione individualitatis, characteris, status praesentis virtutis vitalis; e functionum perturbatione et impedimentorum medicatrici naturae vi obstantium; e texturae et structurae vitiis, e compositione, complicatione, symptomatibus morbi vim aggravantibus, ex injuriis, quas ossa morbosa vicinis inferunt partibus etc.

Si causae morbi possunt auferri, si vis vitalis mutatis debilitata, nec functionum conspiratio turbata; si morbus minoris est gradus, complicationum et compositionum naturae et artis auxilia superantium immuniis, si nulla obstant mechanica impedimenta inexpedibilia etc. spem hicebit fovere fausti eventus.

Sin vero causae morbi sunt insuperabiles; si vis naturae lanquescit, si functionum hormonia violenter est sublata; si vehementis febris, inflammatio, suppuratio,

sphacellus, gangraena, vires magis magisque consumunt; si desorganisationes, caco-chyria et cachexia associantur; quid plura? — organismi vigore sublato, est sane, quod periculum praesagias.

In medela omne consilium studiumque adhibendum ad causas, quae si adhuc efficaces fuerint, removendas, quod autem si fieri non potuerit, ad earum efficaciam frangendam effectusque tollendos. — Omnisque composito et complicatio eliminanda atque avertenda; febris, inflammationis ejusque sequelarum cura characteri conveniens sedulo instituenda. Hinc scrophulae, scorbatus, lues venerea, arthritis aliique morbi, qui tamquam primarii affectionem morbosam ossibus inferebant vel tamquam socii decursum morbi impediunt et aggravant, e medio auferendi, exanthemata retrogressa et metastases ad cutem pristinaque loca proliienda earumque medelae prospiciendum. Prostrati systematis nervosi vigoris, debilitatis, lanquescentiae, inordinatarumque actionum partium solidarum; digestio-

nis vitiorum, humorum praeparantium inertiae, ineptitudinis et defectus; aliorumque symptomatum aggravantium, colliquationum; regiminis et diaetae aegroti conveniens cura medica ferenda. Morbos autem et naturae et artis virtuti reluctantes sopire saltem noxis avertendis oportet.

Pars chirurgica operativa.

Praeter medelam internam, ossa necrosi emortua, carie exesa perniciose luxuriantia, a labe qualicunque devastata, fracta, luxata, depressa, contusa, malaque vicinis partibus inde illata, inflammatio, suppuratio etc. peculiarem requirunt medendi methodum topicalam. Quae quidem methodus in medicamentis externe adhibendis, in fasciis rite applicandis operationibusque consistit. De qua methodo ea tantum pertractaturus sum, quae cum scopo dissertationis meae concordent remque omnem utique lucidiosem reddant.

Nullus erit effectus haec methodus, aut ejus conamina tam diu non erunt nisi temporariae frugis (palliativ) et symptomatica, quamdiu morbus osseus e labe, universum organismum affidente, resultat, vel eam sociam habet vel totum systema ossium vel plures ejus partes simul labefactatae degenerataeque deprehenduntur i. e. si morbus osseus est universalis, sympathicus vel symptomaticus, compositus, complicatus et ejus sanatio pro morbi socii indole magis minusve impediatur. Si autem morbus osseus est localis idiopathicus saepissime et maxima quidem ex parte a medicamentis topicis, apparatu fasciali et operationibus, quae omnia chirurgia suppeditat, exspectandum foret auxilium.

Quum diligent observatione operationum, quibus ad morbos sanandos vis medicatrix naturae utitur, merito tanquam fundamento nititur omnis chirurgia, quae omni aevi naturam in suis operationibus imitari conabatur et observationum et exemplorum auctoritate suasque suas regulas in admi-

nistrandis artis suae auxiliis deducebat, in aprico est, quam necessaria sint chirurgo et diligens morborum studium et sedulum Practicorum scrutinium.

Experientia ac observatione constat, virtutem vitalem medicatricem et reproductivem tum assimilationis, resorptionis, evacuationis ope, materiam alienatam et nocivam, quae ossa infestat, elimitare, tum majori affluxu materiae organicae bonae indolis, ossa morbose affecta sanare, fracta calli ope³⁶⁾ reunire et jacturas ossium³⁷⁾ eorumque partium³⁸⁾ beneficio suo restituere. Experientia praeterea constat: praecipuis naturae medicatricis facultatibus adnumerandam esse inflammationem et suppurationem, solius naturae opera, praestantissima sanie remedia ad vulnerata, ulcerosa degenerata emortua et aliena, quod aliter sanari nequeunt, unienda ejicienda et sananda.

36) Samml. auserles. Abhandlungen für prakt. Aerzte. XXI.
Bd. I. St. p. 125.

37) Choparts Sammlung für prakt. Aerzte. S. 204 et aliis.

38) Troja de novorum ossium integr. aut max. ob morbos deperditionibus regeneratione experimenta. Paris 1774.

In morbis topicis, ossa eorumque partes emortuas et degeneratas si consideres, observatione teste et auspice rationes locum habere possunt, quae sequuntur:

- 1) Vel in tota osse corrupto omnem vitae et organisationis conditionem deletam observare licet ita, ut separatio et ejectio mortui sanationis adjuvandae gratia tam necessariae sint, ut evitari utique nequeant, sive sola medicatrice natura³⁹⁾ absolvendae sive artis auxilio⁴⁰⁾ promovendae.
- 2) Vel glacente ossis morte et depravatione pari passu viget regeneratio, naturaque emortuam partem simul restituere contendit, id quod de Necrosi praeparatis pathologicis Walteri⁴¹⁾, Koehleri⁴²⁾ aliorumque confirmatur,

39) Collectanea Hafniensia Hafn. 1777 et seq. 8.

40) Sammlung der auserlesensten und neuesten Abhandlungen für Wundärzte. Leipzig 1778 et seq.

41) Walter's Museum anat. S. 82, N. 469. S. 83, N. 470. S. 84, N. 474.

42) Köbler Beschreibung der Loderschen Präparate. S. 41, N. 136.

in quibus sequestres sanationem a natura instituendam impediverant.

- 3) Vel devastationi et morti cuiusdam partis ossis ab ipsa vi vitali, tam insignes constituuntur limites ut nec separationi, nec ejectioni degeneratae partis ulla obstent impedimenta.
- 4) Vel sub eadem lege Nro. 3 commemorata, morte quidem limitata et separatione inducta, pars emortua ob partes adjacentes connectentesque eliminari nequit.
- 5) Vel sub eiusdem conditionibus modo allatis ejectio absolvi nequit, ob formam, qua pars elimitanda gaudet.
- 6) Vel ob lanquescentiam virtutis vitalis, seu causam morbi in sua efficacia persistentem, aut vires deficiunt aut impediuntur, quo minus praeparent et praestent separationem et ejectionem emortuae seu exesae partis etc.

Isto quidem loco, eoque vario, Nro. 1. 2.

4. 5. commemorato, remotionem degenerati, artis auxilio instituendam esse existimem ob

detrimenta, vim vitalem infestantia ex inflammatione, suppuratione nimia et perdurante, e febre, injuriis, quae vicinis partibus, per irritationem, distractionem pressionem et lacerationem, inferuntur etc. contracta.

Alio autem loco atque alio et ultima salutis anchora, in chirurgia posita ab extirpatione partiali speranda, si animum adverteris:

7) Ad fracturas comminutas⁴³⁾, in quibus aliena corpora⁴⁴⁾, vel alienatae organismi partes reunionem et sano-
tionem non tantum retardant atque impediunt, sed etiam decursum morbi aggravare summumque periculum inferre valent.

8) Si respicias ad Osteosarcosin Exostoses⁴⁵⁾ et alios morbos ossium, in quibus simul partes adjacentes in totius organismi detrimentum similibus pro-

43) Bonet Sepulchr. LIV. Sect. V. Observ. 1.

44) Rossius Observat. medic. chirurg. p. 96.

45) Boyer Krankh. der Knochen. II. St. S. 51. 52.

cessibus pathologicis corripiuntur; eatum functiones perturbantur, textura et structura peruentuntur.

- 9) Si consideres, existere status pathologicos, qui absque extirpatione partiali ossium, auferri sanarique nequeant; uti extravasata in cavum cranii, mediastinum anteriores, fungus durae matris⁴⁶⁾ et qui depressionem crani subsequuntur aliique.
- 10) Si denique perpenderis urgentem necessitatetem, cum, progrediente destructione ossium, omnia vulgaria remedia hucusque eludente, suppuration profusa in longum protracta, febris hectica, colliquationes et emaciatio corporis decrementum organismi et mortis imminentis periculum praesagiant. Si reputes dum animo, ejectione depravatae partis, saltim injurias partibus mollibus, praecipue nervis, illatas mitigari posse et auferri, et quod uno

46) Sandifort Exercitationes academicas. II. p. 1.

ictu removeri non licuerit id minutatim fortassis praestari⁴⁷⁾ et naturae occasionem praeberi morbosae separationem et ejectionem⁴⁸⁾ inducendi.

Cum operationibus naturae, praecipue supperatione chirurgo via sternatur et minniatur, qua praestanda fuerint artis sua auxilia; cum edoceamur, hac sola via a natura nonnunquam, absque artis auxilio, separationem et ejectionem nocivarum partium ossium absolutam morbosque ossium sanatos finisse⁴⁹⁾, et eadem virtute vitali jacturas ossium eorumpue partium fuisse restitutas uti Weidemann⁵⁰⁾, Richter⁵¹⁾, Desault⁵²⁾, Fabricius Hildanus⁵³⁾, Chopart⁵⁴⁾, Acrel⁵⁵⁾, Morand⁵⁶⁾ aliique testantur; cum

47) Murray Diss. Nonnulla medicamenta circa curat. luis venereae. p. 40.

48) Chopart's Sammlung für praktische Aerzte. S. 204.

49) Henkel in Riahters chir. Abhandl. Bd. II. St. III. p. 42.

50) Weidmann de necrosi ossium. Francof. 1793.

51) Richter's chirurg. Bäbl. 12. Bd. S. 155.

52) Desault Auserlene chirurg. Wahrnehm. Bd. IV. S. 14.

53) Fabricius Hildanus Observ. chir. Bas. 1606.

54) Chopart's Samml. für prakt. Aerzte. S. 204.

55) Acrels chirurg. Vorfälle. 1. Bd. S. 192.

56) Morand's Vermischte chirurg. Schriften. p. 447.

praeterea extirpatione partialis nocivarum partium prosperrimo cum successu a chirurgis celebrissimis Heistero⁵⁷⁾, Richtero⁵⁸⁾, Huntero⁵⁹⁾, Monroe⁶⁰⁾ alisque celebrata fuisse et suaderetur, omnes aequi judices in meam discessuri fuerint sententiam extirpationem ipsam nullo modo esse negligendam, sed ubique institui potuerit, celebrandam, quia extirpatione degeneratae partis in necrosi reproductionis impedimenta; in osteosarco perniciosa luxuriatio, in fracturis comminutis reuniotis obstacula; praeterea symptomata aggravantia et injuriae partibus illatae vicinis sive mitigantur, sive tolluntur; quia in depressionibus cranii et extravasatis ab ea salutare auxilium pertendum et morbus abbreviari et auferri facile potest, si principiis obstes.

Legitimus hujus operationis usus uti ex praemissis elucet, e plena morbi et impe-

57) Heistet Institutiones chirurgiche. p. 170 et seq.

58) Richter's chirurg. Bibl. XI. Bd. S. 554.

59) Hunter's medicinische und chirurg. Beobachtungen und Heilmethode von Kühn. Leipzig 1784 et 85.

60) Alexander Monroe Sämmtliche Werke. Leipzig 1782.

dimentorum sanationem retardantium vel cohibentium aestimatione, cum debito respectu ad praesentem statum virtutis vitalis, compositionis et complicationis fuerit deducendus, nisi eam non nisi temperariam (palliativ) esse malis, nec tum utilitatis omnis fructusque expertem.

Concinna autem ejus applicatio ex anatomia et consultu Practicorum postulanda: Cauta hac in re requiritur circumspectio et prudentia Chirurgi et diligentius partium examen, ex anatomiae peritia petendum.

Contra: indicationes, si quas agnoscere fas est, ubique locum habent, ubi nulla affulget spes; fore, ut impedimenta sanationis sive uno ictu, sive minutatim hac operatio removeri, aut organismo nociva extinguiri possint; si per situm et partes adjacentes operatio prohibetur, ob inevitabile tum imminens periculum. Contraindicator operatio ob vigentem efficaciam scorbuticae, venereae, scrophulosae, hydropicas etc. labis, qua regenerationis facultas impeditur, vitiatur, nec reproductio locum

habere potest. Praeterea in graviditatis periodo⁶¹⁾) in febri acuta continua, sphacelo, gangraena effectus operationis maxime dubius foret vel plane exitiosus.

Semper tamen id agendum fuerit, ut aeger, operationi subjiciendus, conveniente diaeta et medicamentis ita præparetur, ut inflammatio, suppuratio, ossium exfoliatio et cicatricis formatio, ut oportet, perficiantur, quae singula ex morbi indole et generalibus therapiae et chirurgiae regulis sunt petenda.

Partes nocivas removendas si spectes, pro ratione laesioris, morbi sedis, indolis, organorum viciniorum diversitate, depravatorum ossium figura et circumferentia, modo perquam vario, ut instituatur extirpatio diversissimeque modifetur; necesse est.

Si fragmenta ossium, impetu quoctunque externo extra connexum organicum posita, observentur, vel a natura degeneratarum partium separatio præparabatur quidem,

61) Fabricius Hildanus Cent. V. Obs. 67. Cent. VI. Obs. 68.

sed ejus ad partibus molibus adjacentibus impeditur; sola subinde incisione, vel vulneris amplificatione indigemus ad eas eliminandas; subinde vero tum trepanatione⁶²⁾, tum separatione serrae⁶³⁾ ope, tum et forcipis, tum elevatori⁶⁴⁾ aliorumque ferramentorum usu opus est, tum ad fragmenta ossea tum ad eminentias acuminatas⁶⁵⁾ ossium, fractura exortas, separandas et extrahendas.

Incisio autem ita est dirigenda, ut absconditae laesiones pateant et earum sanatio adjuvetur.

Depressiones, fracturae, contusiones, exostosis, caries aliquae status pathologici ossium crani atferendi et ubi humores extravasati et effusi educendi fuerint, illius apparatus ferramentorum, maxime compositi, ad trepanationem instituendam necessarii, usum exigere possunt; de qua operandi

62) Medic. Transact. von Lond. Vol. III. 1796. p. 100.

63) J.P. Windemann de abusu ferri candardis Mogunt. 1797.

64) Böttcher's Abhandlung von den Krankheiten d. Knochen etc. Königsberg. 1789. 1. Th. S. 209.

65) Rudolphi Bemerkungen. 1. Th. p. 270 et seq.

methodo disserunt J. Louvrier et Chr. L. Mursiuna⁶⁶⁾, Richter⁶⁷⁾, Heister⁶⁸⁾, Theden⁶⁹⁾, Desault⁷⁰⁾; Zang⁷¹⁾ aliquae.

Si spinae vertebrarum dorsi destructae vel exostoses in una alterave regione corporis reperiantur, et hae scalpro, mallei vi adacto, removendae forent.

Si fractura ossium simul cum carie conjuncta reperiatur nonnunquam, vulnere amplificato, serraeque usu adhibito, utraque potest auferri.

Nonnunquam Bellotii methodo adhibita osteosarcosis, exostosis maligna, necrosis sanatae, scalpri et rasurae auxilio partes ossium carie exesae, necrosae partes post amputationem exortae turundarum, spiritu vini rectificato humectatarum, efficacia; forcipis, serrae ope remotae fuerunt.

66) J. Louvrier et Chr. L. Mursinna Abhandl. über die Durchbohrung des Schedels. Wien 1804.

67) Richter's Anfangsgründe der Wundärzneikunde, 2. Bd.

68) Heister Institutiones chirurgicae. Amstel. p. 497.

69) Theden's Neue Bemerkungen. I. p. 78. II. p. 22.

70) Desault Auserl. chirurg. Wahrnehmungen. n. 228;

71) Chr. B. Zang's Darstellung blutiger heilkundiger Operationen. Wien 1814. 2. Bd. S. 3.

Alia remedia vulgaria, quae subministrat meteria medica praetermittam.

Supra a me quae sunt tradita, neutiquam eo dicta velim, ut suadere me putas, ad unum eundemque morbum unius ejusdemque ferramentorum apparatus usum semper esse convenientem, cum unus idemque morbus respectu sedis, gradus, compositionis et complicationis aliam atque aliam quandoque compositam operandi methodum exigere possit, et cum ferramentorum⁷²⁾ usus tum e fabrica instrumentorum, tum ex eorum adipicandorum ratione sit dijudicandus.

Ad haemorrhagias, operationem sequentes, sistendas, aliaque incommoda, quae exoriri possunt, avertenda et auferenda, ad fasciarum apparatus et deligationem convenientem attendat chirurgus.

Operatione instituta omnis cura versatur circa vires naturae medicatrices adju-

72) E ferramentariis Perret, Brambilla, Le Catalogorumque etc. petenda.

vandas et dirigendas eo, ut extremitates ossis operati firmiter et quantum fieri possit absque deformitate aut molestia coalescant, et operationes naturae, ad jacturas suo beneficio compensandas quo minus turbentur, impedianter.

Hinc attendat chirurgus, ut in conveniente quieto loco reponatur aegrotus, in debito situ, quamdiu res exigit, detineatur, omnesque sequelae noxiæ praepediantur.

Medelam internam, regimen, diaetam et apotherapiam quod attinet, patet, quam mirum in modum ratio eorum sit diversa,

Semper autem medicus aegrum ut graviter vulneratum spectato, et consiliis iuvato, petendis e generalibus therapiae et chirurgiae regulis.

Quae quidem singula perlustrare constitueram apud animum; sed arctiores mihi praescripti sunt limites, quam intra quos corrivari possim praeterea monenda, nisi ut B. L. ad acta Richteri, Schinuckeri, Heisteri, Hunteri, Theden, Chopart, alio-

rumque virorum celeberrimorum velim
ablegatum.

Simul instrumentum a me inventum,
in calce dissertationis meae delineatum,
aereque excusum, publico examini ac ju-
dicio submisso committendum subjungo,
quod ad commemoratain extirpationem
instituendam, uti experimentis in cadave-
ribus iterata vice institutis equidem eductus,
subinde commode inservitrum esse ar-
bitror, ad quod describendum me jam
accingo:

Constat haec machina rotulis, chelo-
nia, manubrio et clayi.

- 1) Rotula (A.) diametri unius pollicis et
octo linearum axi prominenti (a) af-
fixa, 52 dentibus praedita.
- 2) Rotula (B.) diametri unius pollicis et
quatuor linearum, sua axe et 48 den-

tibus gaudens. Ambae haec rotae ex aurichaleo sunt confectae.

- 3) Rotula (C.) chalibea, unius lineae crassa, margine serrato praedita, quae diversi potest esse diametri, et rotulae minori (b), 22 dentibus et axe instructae, ope epitoniorum (c. d.) affigitur.
- 4) Chelonia (D. D.) ex aurichalco confecta, septem pollices longa, e duabus laminis constat, quae cum clauditur, rotulas in suo situ firmiter tenet. Auxilio epitoniorum (e. e.) manubrio affigitur.
- 5) Manubrium (E.), depictae formae, diversae potest esse longitudinis pro diversa acie oculorum chirurgi.
- 6) Clavis (F.) axi prominenti (a) appositae ope, machinae rotulae in gyrum agitantur.

Instrumentum si adhibetur, manubri pars (f.) in fovea axillari, brachio versus thoracem adstracto, et chelonia manu dextra firmiter tenetur, et immobile red-

ditur, cum antibrachium simul immobili
cuidam corpori incumbat. Simul ac,
cum machine rotulae a socio ministran-
te clavis ope in gyrum agitantur, par-
ti resecandae orbis serratus rotulae (C.)
lente admoveatur ita, ut resectio caute
perfici possit.

Priusquam autem exstirpatione institua-
tur, partes molles a resecando osse sunt
removendae, ne serrato orbe laedantur.
Hinc incisione et amplificatione vulneris
vel ulceris etc. opus est, et ut partes ad-
jacentes a laesione tuearis, laminae ferreae,
secundum formam exstirpandae partis os-
sis incurvatae et formatae, intus ponantur
et in situ suo teneantur.

Pars exstirpanda osssea extra deprava-
tionis limites resecetur, ita, ut omne vi-
tiosum vel simul auferatur, et ubi hoc ob-
tineri non potuerit, quantum fieri possit
et necessarium sit, removeatur, pro scopo
operationis instituenda ad mitigandum vel
auferendum morbum.

Secundum mea in cadaveribus insti-

tuta experimenta inservire potest haec ma-
china ad costarum, sterni, fibulae, radii, ul-
nae, spinarum dorsi, scapulae aliorumque
tenuorum ossium partes, a necrosi, osteo-
sarcosi, exostosi maligna, osteosteatomate
aliisque tumoribus et morbis devastatas,
removendas.

*Inservit idem ubi partes spongiosae re-
ticulares ossium removendae fuerint, ut
condyli a carie infestati.*

In depressionibus crani, ubi totus de-
pressionis ambitus ideo est removendus,
quia neque levatoris communis auxilio ⁷³⁾,
neque trepanatione apposita, elevatio de-
pressae partis crani absolvi potuerit, tunc
hac machina partes oblongae tenuiores
fuerint resecande ita, ut forcipe obtusa,
absque graviori commotione aut violenta-
durae matris solutione auferri possint;
cum margo elevationem impediens in to-
to depressionis ambitu ob partes adjac-

73) Richters Anfangsgründe der Wundärzneikunde. Vol. II.
T. I.

centes, vel magnam jacturam ossium craniⁱ
repetitis trepanationibus oppositis auferri
non possit.

Simili ratione margo ossis prominens,
sub quo ossis frustulum, extractionem haud
admittens, depresso fuerit, tum lente re-
secari et auferri licebit.

Praeterea ubi pars ossea absque nexu
cum dura matre et pericranio vel periostio,
firmiter tamen reliquis ossibus inhaereat,
vel aliena corpora eis instrusa, fuerint ese-
canda et auferenda.

Quae B. L., quocum haec communica-
canda putavi, benevole ut excipiat, rogo
quaesoque.

T h e s e s.

I.

Ut simplex, ita et verum illud verbum, quod homo suum habeat medicum; quod natura sit morborum medicatrix, atque congruas plerumque vias eligat, plus sane valet et in curandis morbis plus spei offert, quam splenditissimus artis nostrae apparatus.

II.

Accipit minister naturae, medicus, legem, non fert.

III.

Excretionem producti morbosi impedire peccatum est, sed sopitum expergefacere magistri est.

IV.

Crusta inflammatoria sive absit, sive adsit, neque venae sectionis repetendae neque omittendae indicem dixeris.

V.

Chirurgus, qui inflammatione uti ignorat,
huic nescit mederi.

VI.

Tum non impedito affluxu materiae organicae bonae correspondentisque indolis, tum propria virtute vitali partium solidarum, quarum continuitas sublata, et reunio et cicatricis formatio absolvuntur.

VII.

In vulneribus explorandis semper digitus instrumentis preferendus est.

VIII.



Ad idiosyncrasiam uniuscujusque hominis singularem in curandis morbis semper respiciendum.

IX.

Justa ac moderata vitae ratio optimum atque tutissimum servanda sanitatis remedium est.

X.

Vita status coactus dici potest.



Ad extirpationem ossium eorumque partium.